


Kriesiy

Opuscula in his miscellaneis sub W^o^ contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sin. lit.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Biezanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675
3. Inaccessa Sanctissimæ Virginis Montana per Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas sacræ claromontanæ Imaginis per Dionys. Chelstowski O.S.Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Oraculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Biezanowski Crac. 1668. simil. n° 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Seb. Piskorski versib. dem. Crac.
7. Theatrum Marianum.. in nemore Lezaycensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.
8. Kazanie przy tuszym solenn. Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bl. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gninskiego na Ur B. Stan. Kostk. 1687 miane. w Krak.
10 Korona z pochwał SS dwóch ... uwita per X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11 Laska i pieczęć nadwornia Niebieska. czyli Kazania na S. Jan. Krzciciel. i Jan. Nep. per X. Fortunata Łosiewskiego† w Krak. 1732. † Franciszkana.
12 Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xięzn. Ostrogskiey per Woyc. Czarnocki S.J. Krak 1636
13 Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie per X. Fortun. Łosiewskiego Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie per X. Marcelli Dziewulskiego Franc. Krak. 1725.
15 Acumen doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. per Matthæum Jos. Kołędowicz Crac. 1721.
16 Ad mentem Patriæ caput Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatum a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17 Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687
18 Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiołek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19 Dissertationes sup. rubricas de sepulturis et sumptib. funer. per Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20 Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński per Seb. Tortowski Crac. 1712. Orat.
21 Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias
In obitum Serenmi Principis
Iactura orbis Literarii transmissa } desiciunt.
22 Xiężyc JW Leliwy w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak S.J. 1729. Księżyc
23 Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria sæculor. in obitu Aug. II per Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25 Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versus lat. et pol. per Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26 Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stokowski porrecta per Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27 Monumentum aureæ perennitatis exsuscitatum in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. per St. Jos. Biezanowski Crac. 1677. orat.
28 Murus et dolor sæculor. Stan. Dębski Eppi Crac. comploratus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini per Ant. Jos. Zołędziowski descripta Crac 1750. Poesis.
30 Splendor Korybuthei sideris in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine consecratus Crac. 1676.
31 Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chomętowskiego per X. Brun. Osieckiego Z.S.P. Częst. 1729. Kazanie
32 Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythw. a Carolo Trevani paneg. consecr. Crac. 1676.
33 Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraz a Nic. Grodzienski Crac. 1631. elogia.
~~34~~ Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus 1, 16, 18. 21. 22 23. 28.	Gninski Jan Chryz. Benedykt 9.	Tortowski Sebastianus 20
Agnensis Joan. Bapt. 2, 5.	Grodzienski Nicol. 33.	Trevani Carolus 32
Biezanowski Stan. Jos. 2, 5, 27.	Herka Ignat. Cant. 24.	Zołędziowski Ant. Jos. 29.
Brocki Mathias 30.	Kołędowicz Mathæus Jos. 15	
Byszkowski Joann. 26.	Lipiewicz Andreas 19.	
Bytomski Joann. 7.	X. Antoni O.M. 10	
Chełstowski Dyonysius O.S.Paul. 4.	Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr. 11. 13.	
Czarnocki Woyciech S.J. 12.	Osiecki X. Bruno Z.S.Paw. 31	
Dzidowski Joan. Stan. 17	Piskorski Sebastianus 6	
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr. 14.	Gromnicki Thomas - - - 3.	
	Rzewuski Stanislaus 25.	
	Szczaniecki X. Stefan S.J. 8.	

MEMORIA

Sæculorum

In Immortalibus rectefactis
SERENISSIMI olim & *INVICTISSIMI*

AVGVSTI II.

POLONIARUM REGIS,

MAGNI DUCIS

LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, KIIOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHOVIÆQVE

NATI DUCIS SAXONIÆ

S.R.I. ELECTORIS &c.

PERENNANS.

Ac Dum
In Basilica Cathedrali Cracoviensi
Augustæ Ejus exuviæ ritu Solenni conderentur.
In lenimentum publici doloris
PER

M. IGNATIUM CANTIUM HERKA,
Philosophiæ DOCTOREM, Collegam Minorem, ibidemq; Ordinarium Eloquentiæ PROFESSOREM;

Orbi Polono

INTIMATA.

Anno Domini MDCCXXXIV. *die* 15. *Ianuarij*
CRACOVIÆ TYPIS VNIVERSITATIS.



Qvis sibi succesſus nolit portendere fauſtos,
Stemmate de tanto qvod bona qvæq; notat.
Spondent Auguſto Diademate Flumina cincta
Qvòd nunqvam Regni naufraga puppis erit.
Forma Crucis Gladios firmat ſemperq; paratos
Pro Patria monſtrat vincere proq; Deo.

REX
SERENISSIME

IN Schola Regni &
Studiorum Universitate no
va dolorum Facultas, qua
post Regia SERENISSIMI olim
Tui Parentis Fata consurrexit, hunc con
scriptum sui mæroris Tractatum VESTRA
MAJESTATI reddit. Cæteræ quippe facul
tates alios alijs devovent Tractatus, hæc
quam noviter grandis Tanti Monarcha
erexit casus, hunc luctûs mærorisq; su
dedicare debet Tractatum. Numerosa
hæc facultas est, quam tota constituit
Universitas, unica in omnes Professione

 sufficiens,

ſufficiens, univerſos & ſingulos dolere docet. Unicum ſed ſatis longum quia poſteris etiam reaſumendum ſæculîs habet mæroris Tractatum, quem conſcripſit lachrymîs, quem eloquitur ſingultibûs. Tantiſper laboravimus, ut SERENITATIS VESTRÆ magnus ſuper fata Parentis dolor eſſet levior, quia nobiſcum diviſus, hodie jam illum temperare imò prohibere volumus, paginas porrigimꝰ ut in ſpongiam abeant lachrymarum. Solabere Te Tuorum & noſtrorum Rex dolorum, dum leges, quòd Magnus Parens vivat in memoria ſæculorum perennanti; nos jam lenimentum dolorum ſentimꝰ, dum Eum in MAIESTATE VESTRA revixiſſe videmus, & ne aliquid ad publici doloris deſit ſolatium, ut proſperè procedas & Regnes diutiſſimè omnium votum eſt.

PANEGYRIS.



Egia fata in Polono superba Throno; tantisper dolorosus intra se meditabatur animus, nunc extra prorumpens, & cum interpellatis lugentium palpebrarum effluvijs, inter septos feralibûs cupreſsîs lugubrium pagiginarum profusus margines, singularem novocoronatis Majestatibus nocendi genere practicatam eorum manifestat sævitiem; quòd cùm alios tempori, Reges etiam temporibus eripiant; huc totaliter lymphaticam fanatici furoris convertunt insaniam, ut cum Regnorum capitibus memoriam auferant sæculorum. Licetsi quippe integri conjuratorum fatorum in hoc conspirent conatus, ut omnia in perennem oblivionem abeant; in Regales tamen Thronos fortiùs urgent, ut cum illis vindicativum, ulciscentis temerarios sui furoris ausus memoriæ, evellant Imperium. Hæc est aspera immitis Libitinæ sævitia, ut in alijs aliquid tantùm in Regibus totum æternaturâ memoriâ dignum

abolere velit, Iliadum magîs quàm foliorum avidior, ut hîs ſublatìs nihil relinquat quod legat, diſcat & recordetur poſteritas. Hæc dentata tinea, in alijs codices, ſed in Regibus compendiatam memorandorum corrodere cupit epithomen: hæc venenata Lamia in alijs Stygem, ſed in Regibus Lethen memoriæ ſæculorum propinare prætendit. Avernalibus aſveſta tenebris hæc noctua lucem non tantùm odit ſed & invidet, vel maximè Regnorum Soles ecclypſari deſiderans, ut his Luminum Fontibûs extinctîs ventura tempora nihil videant. Hoc monſtrum oſſeum validos fatigat Hercules, Leucadios mærere facit Saturnos, eloquiô pollentes inter ſilentioſa urnæ conticinia tacere jubet Mercurios, cataphractos exarmat Martes; maximo tamen ſuperbit triumphô, dum vincit Ioves, ne audiantur Tonantes. Senatorijs Dynaſtarum terribile in Curulibus, ſed in Regum ſolijs præſumit apparere horrendiſſimum, ut eorum ideas fortiùs excutiat ex mente ſæculorum. Hæc pluſquàm Theſſala Cyrrhe perpetua temporibus inducere nubila primis in votis habet, dum aufert Sereniſſimos. Pretioſa bacchantis Libitinæ ſitis, poſt aureos cum Vitellio panes, Regnorum etiam uniones haurit cum Antonio, ut nihil ſuperſit, quod æſtimetur. Exoculatum Numen Imperiorum pupillas marmoreis tegit palpebrîs, ut cæcutiat poſteritas. Regios characte-

res in

res in mortali ponit pulvere ne perennent, sublimes humo æquat Majeſtates, ne emineant, Purpuras cum lacernis, gemmantia Sceptra cum ſarculis, ſignatorios ſummæ Authoritatis Faſces commiſcet cum ſcaphijs, ne diſcernantur, laurus complicat taxis, ut areant, oleas cupreſſis, ne vireant, triumphales rogos fatalibus incinerat buſtis, ne ſplendeſcant; plane maximè Regibus invida, ne regnent in memoria perennanti. Tremulis aliorum in via vitæ greſſib9 ſed maximè Regijs ſepulchralem opponit lapidem, ut ad illum offenſi perennitatem non adeant. Violas quidem humilesq; myricas violat, ſed ſeveriús inſcriptos nomine Regum ſuccidit flores, ut bonus odor famæ eorum evaneſcat. Tenues terebinthos, ſed avidiùs Cælo affines & ſuo vertice redimitos evellit cedros, ne vel ex umbra magnitudinem illorum tempora metiantur. Potiſſimùm diademata in rotam Ixionis transformare cupit, ut vel vertiginem patiantur ſæcula vel tormentum. Hic vermis Regia maximè appetit poma, ut incineret: hoc nefas ſceleratiſſimo auſu Legislatores attentat, ut ſit exlex, omnes licet ad meſſem lividæ falcis vocantur, quia tamen avara mors eſt, ideo pretioſiores ocyùs quam volumus rapit animas, ut voluntati appetenda, memoriæ eripiat memoranda. Tempori non parcit Parca, ut noceat ſæculis, Herculem imitata, vitæ humanæ non plus ultra præſcribit,

 ne ad

ne ad posteritatem transiliat, & maximé Monarchis cum limite regnandi, limitem vult ponere perennandi. Momenta Principum Regnatorumq; tempora impletis mortali saburrâ clepsydrîs ita injuriè mẽsurari ambit, ut nullũ ævo futuro supersit quando. Ita primas Regnorum disponit substantias, ut ad nullum posteritatis prædicamentum pertinere possint, & sic illas in æviterna moriendi propositione pro subjectis ponit, ut nullum de illis æternaturæ sit prædicatum memoriæ. In magnorum Nominum syllabis cæsuram facit, ut prolongandum in futurum ævum impediat incrementum. Eheu nefanda alibi hæc Libitinæ præsumptio! sed apud nos deterior quàm dici potest; apud alios incusanda, sed apud nos dolenda, aliis admiranda, nobis uberioribus lachrymarum deflenda stilicidîjs. Post tot nullo gemmeis etiam distinctorum momentîs temporum pretio pensanda in Regno Sarmatico damna, quæ in tot Proceribus, in tot toti Lechiæ æstimandis fecit mors atra Viris, ausibus ausus, & sceleribus accumulans scelera, quod per aliquot annorum meditabatur trieterides in puncto est executa, & tantum nefas, quantum ut exprimatur, sæcula de Nomine cogitabunt, deliberatè patravit, dum *SERENISSIMUM* olim & *INVICTISSIMUM* AVGSTVM II. Poloniarum *REGEM*, Regni Patrem, Reipublicæ Delicium, Senatûs Corculum, primumq; Sarmatiæ Vivens

rapuit,

rapuit, sustulit de Throno ad tumulum mira metamorphosi transportavit; eoq; ipso animos Procerum in mæstitiam, corda Heroum in dolorem, Regum verò Filiam studiorumq; Ocellum Vniversitatem nostram resolvit in lachrymas. Vixit AVGVSTVS in Polonia, vixit Polonia in AVGVSTO: vesanus Libitinæ attentavit ausus, ut sicut AVGVSTVS in Polonia, ita Polonia moreretur in AVGVSTO. Diem hunc, quô tantum læsæ Majestatis commisit crimen, Solis diem fecit, sed occidentis, voluitq; spem ortûs adimere. Eripuit suum Sarmaticæ AQVILÆ Phæbum, & illico eam lugere fecit; quem ita eclipsari cupivit, ut nunquam perennaturæ gloriæ eluctaretur in augem, cupivit, ut cum vita superstes gloria, cum gloria totus fatis succumberet AVGVTSVS. Sed o fatuum fatum! erubesceres tua irrita vota, nisi pallidum esses. Quæ temeritas inumbrare velle Serenissimum? impugnare Potentissimum? & in mortalitatis angustias redigere AVGVSTVM? amens es dum tui intenti tenacisq; propositi amans. Inter tot frequentata nocendi mortalibus exercitia, nondum didicisti quomodo liberi Regni Sceptra tenenti nocere posses AVGVSTO, cui si vitam eripuisti, eripuisti ut homini non ut Regi. An expers eras AVGVSTVM factis vixisse non annîs? & sicuti faustè natum esse sæculis Regem, ita sæculis perennare? Huic Soli Serenissimo, in suo occa-

ſu expertem aliquando inumbrari, Orientem fecisti, eoq; fulmine quod à Te recepit, Polonum in te armasti Iovem. Hanc Regnorum gemmam, quæ ex Erythræo magni Sangvinis enatavit alto abſorbes ſed non conſumis, hoc maximum Sarmatiæ Lumen inumbras ſed non extingvis. Ignem hunc qui zelo boni publici arſit, dum mortali obruis cinere, conſervas, & dum fatalibus inſufflas flabrîs, auges. Hic Flos Regum non ita cecidit, ut ſæcula coronare non poſſet, non ita aruit, ut in areolam immortalis memoriæ non potuerit tranſplantari. Pro Corona circulum ei æternitatis dedisti, quæ tempus prætergreſſa ambit ſæcula, dumq; redimit AVGVSTVM, participato à Superis magnæ Virtuti Imperiô, Regem ſæculorum ſæculis exhibet venerandum. Excuſſisti ei Sceptrum, ſed virgam Regalis ejus vigilantiæ in Tuæ temeritatis pænam intactam reliquisti, quæ ad memoriam illius poſteritatem excitabit. Corroſisti pomum Regium, ſed ſaporem ejus gloriæ non exſuxisti; non enim Gomorrheum erat, ut tantùm ſplenderet foris & cariem ſentiat dum tangitur. Hic ex primis in menſa Honoris ſympoſijs bolus avaram Tui orexim dolore ſatiavit, quem dum compreſſisti, illud gloriæ liquamen, illum famæ emedullasti ſuccum, qui ipſam æternitatem reficiet. Huic, qui liberis dabat jura Quiritibus, dum juſtitium, ſimul & convenientem tuæ temeræ

audaciæ

audaciæ intimasti justitiam, dum sub leges recte factorum Ejus abijsti, quibûs Te tui criminis damnat, dum memorandus perennat. Hic Rex verè aureus dum à Te in sepulchrali probatur lapide, fit pretiosior in sinu æternitatis reconditus. Porro tempori quidem jacturam, sed venturis commodum sæculis, dum oculis absentem, dolentibus tamen animis præsentem fecisti AVGVSTVM, quem licetsi cum annis Poloniæ recepisti, jure tamen rectefactis Illius debito convicta, posteritati Eum in memoriam sæculorum reddidisti. Impedimus nociturum Libitinæ ictum, dum falcatam ferri ejus aciem stylô laudis impetimus, cui intinctas commistæ lachrymis sepiæ opponimus pennas, ut hebetetur. Vindicamus à jure fatorum virtutem *Regis Serenissimi* cùm vitam non possumus, cujus immortalia rectefacta non tempori spectanda, sed sæculis memoranda vendicamus; utiq; Scriptorum Calamîs, ut suus probitati honor habeatur, sæculorum oblivio debellatur. Agens publici mæroris interpretem Panegyris, quid tempora doleant, quid recordentur sæcula, de gloria *Serenissimi* AVGVSTI deprompṭum intimabit, quodsi non totum, hoc ideo, vel quia deerunt justo sua verba dolori, vel quia materies superabit opus.

Vita hominum quæ fugitivo labentium annorum mensuratur passu cum irremeabili tempore fugit, oblivioni obnoxia; ast illa quæ re-

ctefactorum numerô protenditur, & gloriæ occupat fastigium, in perennantem sæculorum abit memoriam. Nihil enim vivunt, qui non gloriosè vivunt, nec annos usurpant sed perdunt, apud quos non est virtutis inventio. Nihil de tempore habemus nisi nunc; ex athomis tumescunt montes, ex guttis stillantibus vasta æquoris æstuant latifundia, dies vitæ ex momentis constant, & iterum redeunt in momenta, non aliter ac montes in athomos; æquora resolvuntur in guttas; sicq; instans instante trusum evanescit in nihilum. His tamen ita euntibus in declivium diebus, jus adimit generosa virtus, momenta in Myriades ætatum commutando, vitam non tempore, sed æternitate metiri mandat, utpote hoc immortale habens privilegium, ut nemini mites, illi soli parcant Parcæ, non ita in sepulchralia busta exanima deturbando corpora, ut memoriam rectefactorum iisdem tumulent, quæ sicut nobis honorem & gloriam dum vivimus, ita superstitem recordationem conciliant, dum definimus. Tenebrescit vitalis usura lucis, si virtutis non serenatur splendore, qui nunquam intantùm extingvitur, ut non certiores gloriæ notas splendenti etiam inter emaciatas fatorum umbras imprimat animo, quàm ut illas eradat ulla mutatio; & licèt hæc fax mentis honestæ turbineo fatalium Typhonum videatur extingvi vortice, invariato tamen lumine fulget,

nec

nec minùs nitet, ſed nobis forſitan non æquè apparet, more Solis, ſub nube occultatur non perit, nihilq; ſibi nocentibus his increbreſcentibus Stygiorum Notorum flabrîs diſcernere, jubet, multum intereſſe utrum aliquid abſit tantùm; an impediat. Neſtoreos numerare annos, eſt tempori & oblivioni vivere, protenſis gloriari luſtrîs, eſt dies perdere, diù tantùm non verò bene vivere eſt vitam cum morte dividere, famæ lituô celebrandos recenſere actus eſt ſæculorum memoriæ perennare. Vincunt fata, pro quibus militant facta, ſuperant tumulos qui magnarum virtutum augent cumulos, & meliori ſui parte vivunt, qui animum gloriosè actis intentum æternitati præſentant. Evitant mortis fulmina quos triumphales tegunt laureæ, nec fatorum experiuntur intemperiem, qui gloriæ conſcendunt Olympum; in quo conſiſtens hæroicæ mentis celſitudo, quovis buſtuario chomate eſt altior. Angvicoma Nemeſis terret ſed non exanimat Hercules, Eumenidum Gygantomachia impugnat ſed non expugnat Ioves, & ſplendentes in auge gloriæ Soles occidunt orituri. Semina meritorum in ſæculorum meſſem adoleſcunt, quam Libitina non demetit, quia falcem tempori debet. Mortem fallimus dum vaſto virtutis pedemate temporis tranſiliendo confinia, limites ſæculorum ingreſſi æternaturæ nos inſinuamus memoriæ. Sic mortalitatis umbras illuſtravit

Serenissimus, sic vim fatorum vicit *Invictissimus,* sic in æternitatis AuGusTALE receptus seipso sæcula ampliavit AVGVSTVS II. REX Poloniæ, sic factus memoria sæculorum. Fallitur qui *SERENISSIMI* AVGVSTI Vitam labentibus cito temporum passu metitur annîs, Archimedem summæ rectefactorum intentum agat necesse, hîs conijciet quantùm vixerit. Computet multiplicata sæculorum instantia, & ad horum proportionem longum virtutis AVGVSTI ducat Syllabum, cognoscet quantus est in æternitate REX Senecio, cui ad longævitatem de suis etiam immortalis fama dedit annis. Magnis dotibûs suis, pro quibus ei impertiendis sæcula laborarunt & singularibus præcelsorum facinorum documentîs, quibus visendis ad delicium, vel monstrandis ad stuporem, sola posthuma est capax ætas, sicut supra cõmunem vivendi, ita & moriendi eluctatus statum generico mortis nomini novã nunquã desituræ gloriæ superaddidit differentiam, ut in speciem immortalitatis transiret de se prædicabilẽ. Cõmunis dicendi modus, quo, super magnitudinem heroicorum AVGVSTI operum profanum vulgus non reflexum, tempore vitam tanti Monarchæ autumabat limitari, sæculis sæpè nauseam pariens, jam in bilem abijt, unde modò quæ nobis tantum concessere Regem, recepere ut proprium. Ipse REX cui putabatur, licet non inceperit, desinit vivere tem-

pori,

pori, illudq; jam in Sarcophago, ut ab his hominum cogitamentis quietem habeat, decumbens, æternitatem nactus, oculîs fugit, auribûs respuit, animô aspernatur. Solem egit, jam in hoc, cui tot beatos feliciori jubare serenavit dies, quod tempore regitur, occidit hemisphærio, sed ad aliud, quod æternitas inhabitat, eluctatur, fitq; Oriens in occasu. Sed æmula hujus splendoris & tanti Phœbi parellia virtus, ut illum ab hac etiam, quæ apud nos suboriri possit, vindicet nocte, ejus gloriæ accendit meridiem, qui intentas animorum nostrorum dum irradiat pupillas, lachrymas ex illis tanquam vehemens sensibile elicit, ut dum gaudemus quòd tantum habuerimus Luminare, quòd amiserimus, doleamus. Hoc Lumen ad plenam sæculorum defuerat lucem, hunc perennitatis orbita desiderabat Planetam, ut niteret nobiliùs. Vt annulus æternitatis appretiaretur, hæc Gemma illi inseri debuerat, ut famæ Oratio posteritati pro Rostris AVGVSTANÆ Domus peroranda ornaretur, hæc Regis nostri ad solum de solio facta est methaphora. Nempè totus sæculis debebatur AVGVSTVS, cujus funebris etiam pompa illorum memoriæ intimatur. Quidquid egit AVGVSTVS duraturis omne per ævum annotatum fastis, in exceptionem Illius à communi moriendi lege abijt, quem grata subsecuturæ ætatis memoria vivacibus rectefactîs su-

perstitem facit etiam apud tumulum. Principi gemmarum adamanti tunc seipsam natura dat in pretium, dum illius in profundo rupis scabrosæ monumento vespillonem agit, gloriosiorem Homerus Iliadem facit, dum eam in urna putaminis claudit, & Dij sub Tymanteis colorum umbris Numina sunt, in ferro sepultus Magnes vim fortiorem exerit, viret inter fulmina laurus, inter Aquilonarios Bootæ flatus risum non fletus sereno vertice pandit Olympus, Porphirionis magnitudo etiã sub Pelio non minuitur, obrue terrestri assurgentis umbræ mole Hyperionem, Hyperion est, & sub pullata tenebricosæ eclipsis levidensa, purpureâ, quæ Principem designat astrorum, non exuit Cynthia pavitensem. Hoc totum in *Serenissimo* cerne AVGVSTO, & quantum invida virtutem venerentur fata, mirare. Mirare, & hæc quæcunq; de AVGVSTO habes cum sæculis divide cogitamina, quibus, ut ad amussim expediantur, tempus non sufficit. Impende annos, Olympiades, Trieterides, ut percipias quid scire velis de AVGVSTO, non comprehendes, tantæ discendorum de magno REGE materiæ, vix sæculorum memoria capax. Huic negotio, jam pridem olim centies & sæpius repetitum, ac tandem toties ac pluries repetendum ævum, totum devovit studium, ut memoret AVGVSTVM.

Liceat vel antelapsa in æternitatis præcipitata

pitata abyssum saecula revocare, an recordentur quid didicere; ut de nostro loquerentur Rege? dicent. Quantum laboravimus ut mereremur de AVGVSTO, noverunt Regna, & Provinciae, adoravit Roma, stupuit Orbis, coronavit Polonia, remuneravit aeternitas. Tēpus edax rerum ac invidiosa vetustas obligatum AVGVSTO Regi Sarmatico nostrum officium plus quàm vertumnosa impediebat mutabilitate, jam per tumultuantia tot periculorum discrimina, jam per reboantia Gradivi classica, jam per tot insidiantia obsequiosae nostrae memoriae stratagemmata obicem nobis ponebat, ne, quantus fuerit AVGVSTVS, disceremus. Nos Superis indulgentibûs volitanti per Orbem commisimus famae, ut gemmatîs pennîs, stelligeris verò asterismîs pro charactere usa, in extensa Caeli dipthera, totam AVGVSTANVM nomen concernentem conscriberet gloriam, nobisq; traderet perdiscendam. Mandarunt Superi, Tantusq; Tanti Nominis svasit Honor, ut toto operosi nostri laboris conamine disceremus, recordaremur, loqueremur, didicimus, meminimus, loquimur. Non subitò apparent quae grandia sunt, amantquè pretiosa latere. Habet suos Virtus Anteambulones, ne privatè incedat, nec statim in vestibulo propolam agit; à praecoci distat longè intuitu, multisq; opus dioptrîs ut spectetur. Vis cernere supercilium,

 plantam

plantam inſpice à qua ſe erigit Olympus; ut ſummum proceræ Cedri attingas turionem, ad radicem te demitte à qua creverat. Præit magno aurora Soli, cortina repandenda ut Tripos appareat. Revolve Tymantis velum ut magnæ artis opus mireris cum Apelle, ut mare adeas prius te ſupra ſinum reflecte, gemmam mavis piſcari Erythræum pete. Id habent & Magna Nomina, quòd priùs plures adorare debemus Æacides, antequam ad Thymiama veniamus grandiori debitum Ajaci. AVGVSTVS quantus ſit ut appareat ſuis noſcendus ex Majoribus, utq; bonum de illo laudis formetur argumentum, hæ præcedere debent præmiſſæ. Magna eſt eruditio, quam encomiorum ejus conſtructio requirit, cujus ſit generis AVGVSTVS; cujus Regalis origo, ſtirps & excellentia, tot exceſſus gloriæ habet, quot nomina computat. Ut bene adoretur AVGVSTVS, ſervanda inprimis Natalibus reverentia, ut Solenniter ſcribatur, Ejus Sangvini intingendus calamus, ut rectè, ſupra Familiæ lineam cadat, ut honorificè, à Capite Domûs procedatur, ut clarè, *Sereniſsimæ* Ejus admoveantur Ceræ.

Auguſtiſſima Regis noſtri Domus (non meum ſed ſæculorum ſenſum refero) eadem cum Orbe Europeo fundamenta habet, ex qua cùm tota potuiſſet conſurrexiſſe Europa, totam in ſe maluit Europam tranſmutare. Sic prima

ma AVGVSTANÆ Familiæ pars, pars Orbis erat, Illius cunæ Regnorum incunabula, Regum Majeſtates, Principum Solia, Imperatorum Throni. Cum illa primi lucem aſpexere honores, ex illius faſcijs Purpuræ, Triregia, Diademata, Sceptra, Mitræ, & Dignitarij Faſces evoluti. In hac Domo Europea gloria educata in hac adolevit, in hac maturuit, in hac vivit. Tantæ molis erat *Sereniſſimam* AVGVSTI conſurgere Domum, ut ſe Orbis in tam magnificum compoſitum partiri debuerit. Fas eſt dicere vel Orbem conſtare ex Domo AVGVSTANA, vel Domum AVGVSTANAM ex Orbe componi. Multum debemus arcano Superûm labori, quòd in Domo *Sereniſſimi Regis* noſtri Europam, in Europa Orbem nobis dederit. Hinc integritas mundi Gens Saxonica ſublunaris pars magna climatis, terraqueæ ſpeciale contentum amplitudinis, illinc cæpit, ubi cæteris finis erat, omneſque; Europeæ plagæ familias ſibi effecit inquilinas. Re cordamur (ajunt ſæcula) nì nos ſomnia fallant, Genti Saxonicæ Herculis Clavam hæreditariam eſſe, recordamur ALEXANDRUM ſuam cum hac gente jactaſſe affinitatem, hinc quanta fuerit conijcimus, dum Huic una ſuffecit, cui totus non ſuffecerat Orbis. Quid defuit à prima etiam ſurgenti planta Genti Saxonicæ, unde inopinata tam raræ gloriæ ſubitò & firmiter prorumperet amplitudo, dum monſtrorum & po-

pulorum Domitores suos habuit. Quanta ex immortalibus factis speranda fuerat laudum messis, ubi tanta semina præcessere; quid posteritas præstolabatur in flore, si tantum jam in herba vidit; quanta in profundo exundantis tandem vastiùs hujus Sangvinis altitudo, si in ipso margine jam triumphorum abyssus. Adhuc ophtalmiam salutis Orbi patienti non illuxerat Oriens ex Alto: jam primus splendoris Saxonici Horoscopus meridies erat, adhuc Flos Campi & Lilium Convallium in Coronam tædiosorum mundi se non sinuabat votorum, jam Gens Saxonica Diadema habuit. Adhuc ad salutis initium planè sæculum desiderabatur, jam ad Honoris Saxonici complementum nihil deerat; cujus famam REX HARDERICVS sicut Coronatam, ita exhibuit spectatam *Serenissimam*. Nempè parum erat Genti Saxonicæ ut esset Capitolium, ni foret simul & Templum Honoris, parum erat Laurô nisi & aurô redimiri; decebat, ut Victrices palmæ in Sceptra desinerent, cassides in Diademata; decebat, ut Sagum in Togam, Abolla in Trabeam, Nemei Leonis juba in Regiæ *Serenitatis* abiret jubar. Regalis tamen Majestas huic Genti nondum ad eminentiam satis, quæ ut verè esset Augustissima, Cælum versùs se erigere debuit. Ita nihil magnum quod erga Superos non assurgit, nihil grande quod Cælum non attingit. Magnum Familiæ incre-

men-

mentum eſt Religio, per quam affinitas contrahitur etiam cum Superis. In hoc Olympo ſicut celſiùs eminet, ita venuſtiùs propagatur conſangvinitatis Arbor, & Fidei lumine accenſæ Ceræ ſplendidiùs nitent, illaq; eſt ſatis parva Domus quæ adhuc diſtat ab Aſtris. Divinum erat beneplacitum, ut, ex qua Chriſtianitatis Antemurali ſuus erat REX oriturus, ſibi foret cognata Familia, cujus famæ echo ut fieret conſonantior, fidem, ſine qua malè ſonat, ei ſuperaddidit. Hujus Proſapiæ Caput in religionem Veri Numinis ſe erexit WITTIKINDVS I. Domus SAXO-WITTIKINDEÆ Author, qui Saxoniam Cælo appropinquavit, Coronam Ejus ad complementum decoramenti Cruce ornavit, utq; poſteritati meliùs eſſet character Regius legibilis, Sacro illum notavit Chriſmate, & fecit ut eſſet par Domus hæc Superis. Dum ſe Purpurâ Sacro tincta Lavacrô veſtivit, totam Domum cujuſvis celſitudinis reddidit Candidatam. Ne Regium verminaret Pomum, ſacro Sale pro ſupernaturali condimento uſus, quem dum delibavit ipſe æternitati, & Illi ſapuit æteternitas. Hoc *DUCE ANDEGAVENSI* tota Auguſtiſſima WITTIKINDEA Domus ad immortalis gloriæ deducta AUGUSTALE, in quo quanta eminuerit, ſatis eſt ad intelligentiam Tantus Princeps, à quo cæperat, ſatis & AVGVSTVS *SERENISSIMUS*, ex qua prodierat. Tantus

tus WITTIKINDVS Regnatricis Conditor Domus, Magnorum Regum, Maximorum Imperatorum Parens, in quem ludibunda fortuna, nihil, totum, quod Illum ſe ipſo Majorem fecit, benignior Cæli contulit munificentia. Adeo ſe in altum gloriæ extulit totum plane diſtentus in Orbem WITTIKINDEÆ Proſapiæ decor, ut per Thronos & Solia augmentatus, illorum omnium quæ Majeſtuoſa alibi, quæ honorifica & trabeata, vel laudi, vel ſtupori, vel venerationi exhibentur, faſtigium ſit & compendium. Alijs ſatis eſt inter longum Syllabum hos recenſere Honorios, quibus vel à Fortuna vel à votis hominum ad alta contigit promoveri. Hoc Genus ad quævis maxima electum, illa etiam, quæ ex abyſſali Secretorum DEI eruitur Sacrario ſorte beatum, ſingulare mentis Divinæ negotium, & Cæleſtis Electionis Sacramentum in GREGORIO V. Pontifice Maximo Orbi Vniverſo reverendum patefecit; illiq; ſe ſignatorio Summæ poſt *DEUM* Authoritatis Triregiô exhibuit coronatum. Ille Pontifex Chriſtianitatis Delphus, Hæreſeos fulmen, Religionis Oraculum, Fidei Pupilla, Sacri Purpuratorum Senatûs Procerum prodigium, publico Eccleſiæ commodo, propter firmatum alto Illius judiciô ſtatum; novo Alemannorum gloriæ auctoramento, propter ſancitum annuente OTTHONIS III. arbitrio Sacri Romani Imperij Electorale munus; ſuffi-

cienti

cienti ad plenitudinem famæ Domus suæ incremento; propter tantum in Supremam Sedem ascensum; Cælitùs impertitus. Quantum est WITTIKINDEÆ Familiæ Corpus, quod Caput Ecclesiæ gerit, quantùm Gens dilecta Dijs, quam sibi Piscatoris annulô desponsarunt, cui etiam Cælestes tradidere Claves. Cognosce Polonia! Regem ex Illa Te habuisse Domo cum qua Superi sua Imperia divisere, cui suam cum lembo Petri commisere Fortunam. Tanti es apud Numina, ut ex quo ad Triregium, ex eodem ad Tuam Coronam depromatur Gemma Conchylio, ex qua Iupiter ad aras, ex eadem Arbore ad Tuum Solium Tonans, & ad Sceptri caduceum formetur Mercurius, unde Fidei Imperio, qui solveret ac ligaret Pontifex, inde & Tuæ libertatis Regno, qui præesset & prodesset Rex, providetur, quo Sacra Poderis, eodem Sangvinis Nobilissimi & Regis Tui Purpura tingitur Ostro; tam Ille qui Religionis quàm qui Tuarum Vindiciarum delicatis manibûs portaret vellus; deligitur Iason; tantùm etiam debes Numini pro AVGVSTO, quantum Roma pro GREGORIO, cujus characterem Pontificium, in augustis Tui Regis cineribus superstitem legis.

Hoc Papali tergeminæ Crucis signo initiata sæcula iterum *AUGUSTANÆ* Gloriæ impressum suæ memoriæ pensum reasumunt. Longa est laudis WITTIKINDEÆ Schino-

 tenes,

tenes, ejus necdum integrum recitavimus comma, cujus etiam ſyllabæ, & vaſtos implent faſtos, amplas Annalium gravant Syngraphas, magna Myrobiblia, & grandia occupat ſyntagmata, ut pote quæ nihil breve, nihil mediocre, nihil diminutum, ſed totum AVGVSTVM promunt & ſonant. Hanc protenſam dicendi formam augent HENRICI, OTHONES, LOTHARII, Nomina non ſemel repando ore hauſtis famæ pronuntianda ſpiritibûs. Hæc proferre Nomina, idem eſt, ac ſupremâ antonomaſiâ vertumnoſæ imperantia Fortunæ Numina, fortunatis eventibûs non turgentes, caſibus adversîs majores triumphos, admiranda rectefactorum ad amuſſim quàm comptiſſimæ perfectionis exemplaria, cultiſſimas tam ſe anteeuntium, quàm ſe cōcomitantium temporum ideas, non liquidas inter tot dura pericula voces, antelucanos ſuo ſplendore Phoſphoros, conſtantes ſuæ Famæ ab omni vetuſtate vindices, porro laconiſtico breviloqvió, perſonatas dicere Virtutes. Huc dum ANHALDINA Domus Ducum Regumq; ſplendore clariſſima, omnes ferè ſecum THEVTONICAS in affinitatem confert terras, ſicut WITTIKINDORVM auget amplitudiem, ita reciproca Illius augetur magnitudine. Dat auro Gemma pretium & accipit, eminet Tithorea Hyampeumq; in Parnaſſo quem elevat, turgent athomi in montibus quos aggerunt, fluminibus

quibus

quibus æstuat dat incrementum Oceanus, altioremq; reddit meridies Solem. quò fulgidiùs serenatur. Non ita affini Prosapia fit augustior WITTIKINDEA Domus; ut statim locupletiori fænore non restituat id, quod accepit. Honorificentiùs eminent THEVTONICÆ Regum Coronæ Ducumq; Mytræ, dum hanc totius Europæ redimiunt frontem, in qua omni authoritate conspicuus decur suam posuit Majestatem ANCHALDINÆ Ceræ, eodem quô fulgere cæperunt WITTIKINDEI Nominis lumine honorem Regnorum accenderunt, ut æmulo in tantam claritudinem flagraret desiderio. Flagravit tamdiu Ille imprimis honor qui Gallicanîs fragravit lilîjs, & eosq; gloriosam non sopivit orexim donec WITTIKINDEO potaretur seu potiretur Sangvine. Illi florum Reges WITTINDEO voluerunt inscribi nomine, quod sunt consecuti, cùm WITTIKINDO III. ac tandem HVGONI CAPETO Regnum Thronumque Franciæ conscendentibus cessere in Purpuram Trabeatam. Sit alijs durum ad honores iter, WITTIKINDEIS Lilia sternuntur, ut meliùs Thronos adeant quia molliùs. Quô tantorum Virorum redimienda Capita, ubi in gressuum coronamentum Reges florum abeunt. Quantus famæ WITTIKINDEÆ odor, qui fragrantiæ liliorum præest, quanta WITTIKINDORVM ad quamvis celsitudinem celeritas, qui non jam

per ariſtas cum Iphiclo, ſed per lilia currunt. Tam longus tamq; vetuſtus ſtirpis hujus proceſſus, quomodò marceſcere potuit, cujus etiam veſtigia florent. Ex hac Domo BEROALDVM Sabaudia ſuum Ducem nacta, triumphale ſibi Io cecinit, animoſiori Entheo anagrammaticum non vanæ ſpei omen inter geſtientia tripudianti jubilô ſui Principatus confinia proclamando: jam ſive inter pacis oleas, ſive inter taxeas Martis aleas *ludam Orbe* dum Ducem habeo BEROALDVM.

Diverſa eſt quidem Cæli & fortunæ in rebus agendis methodus, tunc tamen conformatur utraq; dum diſtribuendorum honorum (quos ſingulis ſingulos nemini tradit omnes) negotium inſtat. Ex tot arboretis una Dodona eligitur ut dignitaria ſubminiſtret inſignia, ex tot fruticetis unica laurus, quæ naſcatur, creſcat & adoleſcat ad Coronam. Vnus placuit Iovi Ganymedes ut Pocillatorem ageret; honorifica munia etiam Numina inter ſe diviſere. Attamen SAXO-WITTIKINDEÆ *SERENISSIMI* AVGVSTI Domui, id extraordinarium ringente fortuna, ſtupente Orbe, faventior Cæli diſpoſitio indulſit privilegium, ut Reges & Principes Imperijs cõmodaret, & apud ſe totum haberet, quod quæritur extra. *SICILIA, NEAPOLIS, CYPRUS, NAVARRA, HUNGARIA, DANIA, ANGLIA, BRITANNIA, SVECIA, NORVEGIA*, & aliæ Gentes quotquot ſuarum coronarum

rcnarum

ronarum habuere clenodia, ex hac ſumpſere Dactilioteca. Quos Duces, *BAVARIA, BURGUNDIA, BRABANTIA, LOTHARINGIA, DALMATIA, AURELIA, BORBONIA, SABAUDIA, PEDEMONTIUM, HOLSATIA, SLESVIGA, STORMARIA, VAGRIA, DITMARIA*, adorarunt, hi ex hoc Semideorum Virorum Pantheo prodiere. Supra captum temporum eſt, quomodo elongatam Gentis WITTIKINDEÆ lineam *BRANDEBURGICA, HANNOVERICA, HASSICA* BRUNSUICIENSIS & aliæ Celſiſſimæ protendunt Domus; cujus ſi puncta ſecernas, quodlibet grande culmen eſt, pars quælibet integra gloria. Sedula de tot & tantis Regnis & Provincijs, de tot & tantis Familijs ingeniorum cogitamina, etiam repetito audentia niſu fatiſcunt, pennæ famæ ſcribentis langveſcunt, pertinaces etiam temporum tantis decoribûs allectorum vacillant conatus, quid de Domo WITTIKINDEA ſentiendum? quæ horum compendium eſt. Qui in flumine naufragatur, quid non reveretur in Mari, jubar Solis cujus everberat pupillam, quid ſi totum conſpiceret; ſub unius ſphæræ pondere ingemiſcit, quomodo ſub tota Cæli mole Atlantem aget. Hoc quod multis ineſt, quod multa complectitur Nomen WITTIKINDEUM Univerſale laudum eſt, claram diſtinctamq; cognitionem ſui non admittit. Majeſtas ejus ſcrutatorem ſui genium obruit, & ubi tantæ gloriæ lumen accedit, mentis ſo-

culus deprimitur non elevatur. Alacre ex munere Panegyrico excurrendi in laudes deficit ſtudium, ubi tantum in campo dicendi de WITTIKINDEA gloria aperitur ſtadium, ipſæq; gradationes Oratoriæ Gyganteis etiam emenſæ paſſibûs fatiſcunt, antequam per tot rectefactorum veſtigia nulla turbulentorum temporum obruenda vetuſtate WITTIKINDEAM adeant celſitudinem. Tot ſæpiæ hauſerunt paginæ, & adhuc ſitiunt, inter tanti moliminis æſtus; tantæ gravitatis ſunt WITTIKINDEA Nomina, ut ex eis uno etiam exarato ſuppreſſa atteratur penna. Ita tamen arduum WITTIKINDEORVM encomiorum iter eſt, ut etiam ſit jucundum, ita audentes terret animos ut alliciat; ita langventes fatigat gradationes; ut reficiat, Sangvis Nobiliſſimus ita paginam ſatiat ne ſitiat, pondus magnorum Nominum pennam dum atterit, aptat, quam ſi incraſſat, hoc facit, ne aliquid de ſe tenue ſcribat; ſi hebetat, non acumen eripit, ſed impedit ne hæreat. Multam licetſi additionem requirat, permittit ſe tamen per numeros colligi Oratorios Gloriæ WITTKINDEÆ ſumma, ad quam accedit ille THIEMO qui non vano ethymo propter ſingularia virtutis documenta EXIMIUS, ac tandem propter adauctam inſigni rectefactorum incremento ſui, ſuæq; originis æſtimationem MAGNUS nominatus, oſtendit, quòd ſicut non

eſſe,

esse, sed cognosci major ac major semper incipit, ita parvi in se nil habet ista Domus. Quo in pretio Tagus Hispaniæ, quòd congestas in aurum volvat arenas, Hermus Lydiæ, quòd divites procellas metalliferis egerat undis, Idsapes Indiæ, Pactolus Asiæ, Arimaspus Scythiæ, Padus Italiæ, quòd suis gignant uniones Regnis; quo in honore Cælis est Hyperion, quòd unus multorum sit Princeps & Pater luminum, eodem in pretio & honore WITTIKINDEÆ Domui est CONRADVS I. quòd unus multa in Illam congesserat decora., quòd MISNENSIS Familiæ sit Protoparens. Concham illam, quam 130 gemmîs fæcundatam Americus Vesputius vidit, omnem appretiationem excessisse humana concludat opinio; quid sentiret? si CONRADVM Vivum illud vidisset Conchylium, tot margaritîs quot totius MISNENSIS Familiæ dives Successoribûs. Magna hæc MISNENSIS Prosapiæ Linea multam SAXO-WITTIKINDEÆ Domus adauxit superficiem. CONRADVS pro sui Nominis perpetuò durabili fama, pro vindice ab oblivione Domûs suæ memoria, pro Patriæ integriate, *an Codrus* fuerit, absit dubitare, quem talem dexteritas Heroica comprobavit. Adhunc EuropeiOrbis thesaurum multum accessit cum OTHONE divite, qui non tam propter eruderatas ex feracibus terræ laminis aurearum venarum medullas, quàm propter ex-

H cellen-

cellentes mentis magnanimæ dotes, hoc pretioſo, quô adhuc egebat poſteritas potitus agnomine, & propter tot celeberrimas urbes, propter tot inſignia municipia, quorum Conditor erat, ac in quibus poſthuma reſideret fama. Quantum Ille ex ſeipſo Domus Auguſtiſſimæ erexit fulcrum, cujus munificentia in fundamentum abierat Civitatum. Nec ſatis felicitatis eſt, ſicut nec ſatis gloriæ huic Domui os populi meruiſſe, niſi placeret Superis, à Regnis & Provincijs venerari, niſi Cælites colat, tam honorificè creſcere, niſi imminuatur coram Numine, tàm in memoria ſæculorum regnare niſi DEO ſerviat. Pié credidit etiam optimam famam contumeliam eſſe ſine honore Divorum, *Illuſtriſsimos* tenebreſcere vel extingvi titulos, niſi igne Divini vel ardeant vel clareſcant amoris, & *Celſiſsimas* ruere Domos hac baſi non ſuffultas, emori Familiæ Corpus, ſi hoc corde probitatis careat. Inquilina erat hæc pietatis Virtus WITTIKINDIS ſed non Nomen, quod primò HENRICVS PIVS receperat, Princeps hic, in ſuis negotijs fauſtis eventibûs, in rebus agendis facilitate & ſucceſſuum proſperitate felix, expertus eſt, ſuoq; docuit exempló quàm honeſtum ſit & utile pietate cum Superis fænerari, à quibus luculentiùs recipias quod dederis. Idem tandem HENRICVS non aſſentationis ſed veritatis ore ILLUMINATUS dictus eſt, & bene; quæ enim pietas

etas ſine lumine? Princeps hæc virtutum cui ſe cum Nomine, ſimul nomen cum luce communicat. Decuit *SERENISSIMI* AVGVSTI noſtri Prædeceſſorem ILLUMINATUM fuiſſe, conveniebat & *ILLUMINATUM* Succeſſorem ſuum habere *Sereniſsimum*; quid enim lux gignere poteſt niſi Lucem. Caput Vrbis & Orbis Roma prima huic negotio impendit cogitamina ut SAXO-WITTIKINDEVM Nomen ſuæ memoriæ impreſſiſſet, ſicq; decrevit, ut quam Domum tot Regna & Provinciæ venerātur, ſecum eandē Vniverſus adoret Orbis. Adoravit in OTHONE Cæſare Auguſtiſſimo qui delicium Imperij Latialis erat, Quiritum amor, triumphorum Prodigium, ex quo Thronus decoramentum habuit, Faſcesq; Coronam. Eſt præſto nobis (ajunt ſæcula) dulcis Tanti Imperatoris recordatio; ſed ne dicendorum ſeries interpolata fiat, quod principale noſtræ memoriæ objectum AVGVSTVM *SERENISSIMUM* attinet, loquimur. Adhuc Polonia Scipione non Sceptrô regebatur, adhuc Mytrâ non Coronâ tegebatur, adhuc ornabatur Purpurâ non Trabeá; hoc eſt adhuc Principes non Reges habuit. Hoc illi deerat quod OTHO dederat, nempe Regium cum Sceptro & Diademate Titulum, Regniq; honorem cum Nomine. Sic Superis placuit, ut tanto munere Cæſar Invictiſſimus & ſuæ Domui obligaret Poloniam, & futuro tandem Nepoti AVGVSTO

SERENISSIMO ſubſecuturi honoris Auctoramentum provideret, ut eodem quo Poloniam, ſuam quoquè Domum in AVGVSTO redimiret Diademate. Non habes quid Romæ invideas Sarmatia, quæ ejuſdem Generis Regem cum illius Imperatore habuiſti, habes unde lauderis, quòd quæ Te coronavit eandem Tu in vim gratitudinis coronaſti Familiam, eodemq; beneficium penſaſti munere quod receperas.

Laſſatis prolixiori dicendi materiè quò prioribus eò remotioribûs ſæculîs, ut pote depontano grandævis Silicerniô continuandam laudis AVGVSTANÆ emphaſim juniora nobiſq; propiora reaſumunt ſæcula, ſuæq; memoriæ pandunt mnemoſynon. Recordamur (inquiunt) FRIDERICOS quos dum rememoramus & diducta ſerie volumus recitare, virtutes loquimur. Cum Magnis FRIDERICORVM Nominibus Ethicam didicimus, & virtutum nomina. Singuli ſingulorum FRIDERICORVM tituli virtutes ſunt, quæ cum illis ſtupenda prædicatione in identicam denominationem abiere. In Annalium voluminibus FRIDERICORVM, ſed ſimul & Virtutum indicem reperies, vel ſi nomen Virtutis quæſieris, FRIDERICVM invenies. Nolunt aliter FRIDERICI per faſtos numerari, niſi virtutum Syllabô, quarum inſigniuntur Nominibûs, ut meliùs toti pateſiant Orbi. Si à Viris ethymum mutantur virtutes, mutuantur potiſſimùm

tissimùm à FRIDERICIS; quorum alius, quòd tempestuoso rugosæ fortunæ supercilio serenam opposuit frontem, quòd rigidæ sortis aculeos in stimulum & calcar suæ masculæ mentis convertit, quòd animô infortunîjs (quæ magnanimis obvenire consveverunt, ut gloriosiores redderent) vinci, prosperîs quæcunquè erant efferri insolitô generosus, gloriari non jactare potuit: me si totus illabatur Orbis impavidum ferient ruinæ, merito ad designandum tantum imperfracti pectoris robur FORTIS est nominatus. Alius quòd vel in ferendis legibus strictè, vel in observandis tenacissimè se gerebat, nomen RIGIDI multa complectens encomia sibi deberi fecit. Erat alius in rebus gerendis reverenda authoritate, eò rariore, quia ad maturam conformi prudentiam gravitate conspicuus, & hinc apellatus est GRAVIS. Quòd ex alio virtutis honor simulq; sceleris timor erat, quód vitia non patiebatur inulta ne adulta fierent, quòd ita Themidis ponderavit bilancem, ut nunquam ad solitam parcere malis, hocq; ipsó nocivam bonis deflecteret indulgentiã, SEVERUS ipsa dictante Iustitia dictus erat. Alius, quòd ubi necesse fuit per tela per ignes ire erat paratus, quòd fatis Centaurica etiam minitantibus saxa se adamantinum præbebat Virum, quòd inter pericula plusquam Thebanum Amphitrioniadem, inter tot ipsis etiam timenda Gerionibus discrimina rerum Philippicum se

 monstra-

monstrabat Macedonem, gemmantibus sui sudoris stillîs, an fulsuris in ævum distinctum stellîs STRENVI recepit Nomen. Nec solùm æqua Themis, vel confusa inopinato dexteritatis documentô, & jure rectefactorum compulsa fata, gloriosa FRIDERICIS cessere Nomina, etiam Martis labor erat, ut suo FRIDERICVM nomine insigniret. Natus est *STRENUO* FRIDERICO Filius & illico Marti datus, qui vitæ aream simulq; pugnæ ingressus arenam reptavit per scuta puer, cristatas galeas, chalibeatas loricas, ferratas ocreas, districtos enses, bellicas phalaricas, crepundia habuit, tenellam ad parmam & ad palmam aptabat dextram, cum annis crescebat ad victorias, primamq; Bellonæ porrexit herbam ut flos Heroum esset, & fuit. Constiterat tandem inter solas oleas & laurus, quas hebetato etiam in hostium cervicibus demetebat mucrone, hic Martigenus Hector; cui una quoq; pugna millenos parturiebat triumphos, quem sicut virtus fecerat ita & denominavit BELLICOSVM. *STRENUUS* enim qualem potuit in lucis usuram effundere natum, nisi *BELLICOSVM*, ut tam pugnace Virtutis suæ Successore, illorum expugnaret errorem, qui à leonis cubilibus lepusculos expectant, Hyrcanoq; nido posse genus pavidum educari autumant. Ad tantum *BELLICOSI* FRIDERICI Nomen accessit *PULCHRI* epitheton honoris, ne foret

ret ſolitarium. Felix ex permutato in ſua voce literarum ordine Romani Imperij *ſignum* & ecclypsîs ignarum ſummæ magnitudinis in Auſonia *Sidus* SIGISMVNDVS III. Imperator ſicut magnam hujus Bellicoſi Alcidæ notavit virtutem, ita eandem gratioſi favoris radiô, & novo honoris ſplendore illuſtravit, cùm Eum Electorali annumeravit Collegio, ut qui à Marte electus erat ad Laureas, ab illo eſſet Elector Imperatorum ad Coronas. Hunc ipſa natura laudavit in Filio, qui Nomine *BONUS* erat, probando quòd etiam vis bellicoſa bonitatem pariat. Idem iterum adaucto titulô dictus eſt PLACIDVS; cui enim *BONVS* non placeret, cumq; verè talis eſſet, qui Patrem habuit *BELLICOSUM*, in ſe deduxit per experientiam, illius etiam Sangvinis portionem ſvavem eſſe, qui crudo Gradivi igne decoquitur, vel pulvere conditur nitrato. Nec ulterior à nativa planè virtutis traductione degeneravit poſteritas, ex qua ERNESTVS Nepos ob rerum expetendarum fugiendarumve phroneſim, PRVDENS, ob unanimitatem animi, vel diſcordantium conciliationem geniorum PACIFICVS nominatus, qui ſive quòd motos, quamvis non à ſe ſcivit tamen componere fluctus, Mercurium etiam venenatas colubrorum rixas caduceô ſedantem præſeferebat, ſive quòd certos varijs in rebus ſolerti mente noverit modos, Catonem egit ſemper cum laude Virtuoſum, & cum

virtute laudabilem. Sapientiam in FRIDERICO, conſtantiam in IOANNE Pronepotibus quicunq; vidit ſtupuit, coluit, utrumq; correſpondēte ſuæ virtuti dignum nomine cenſendo. Quotquot auguſto Pontice recenſentur FRIDERICI, tot ideæ probitatis ſæculorum inhærent memoriæ, tot prodigioſa incorruptæ famæ oſtenta, ſuper quæ ut eſſent honorifica, laboravit natura, deſudavit Cælum, tot perſonatæ adorantur virtutes. His accedit MAVRITIVS Ille qui ſolis exacta triumphîs & victricibus vigente laureîs *Vitâ mirus* bellicis accenſa ignibûs, & vel hoſtili tantùm vel ſuo pro integritate reſtingvenda Sangvine *Irâ Mutius.* MAVRITIVS ille, in quo cum fama perenni gentium *Mars vivit* vivetq; ſuperſtes. Et ne qvis autumet quòd MAVRITIVS malè teſtante Nomine ſit *Virtus ima* illum viva Heroum *Laus*, & *Cor* Gradivi, CAROLVS V Imperator Romanus, urgentibus meritîs, hoſte etiam deſiderante, quòd rariùs eſt plaudente invidia in Electoralem evexit Celſitudinem. FRIDERICAM in MAVRITIO Celſitudinem quid concomitari debuit, niſi magnitudo nominis in LOTHARIO; in quo nil humile videre erat ſed etiam nil elatum, cujus generoſior animus vanitatem non amans, illam, quâ etiam projectæ à montibus turgent umbræ, exoſus magnitudinem, ſicut ſola virtutis quantitate menſurari potuit, ita

non fucatâ hyperbole Magnus dici meruit: Huic intentum admirationis oculum, quisquis in aliam retrovertit partem, non minorem factîs, parem nomine advertit AVGVSTVM I. putavitq; sinè errore in Domo FRIDERICORVM vel in Pantheo se constitisse; ubi quidquid videtur Numen est; vel in Libano, ubi quidquid eminet Cedrus est, vel in Cælo ubi quidcunquè splendet sidus est; vel in Erithreo, ubi quidquid tangitur gemma est, totum Divinum totum prægrande, totum *Serenissimum*, inæstimabile totum, quia FRIDERICVM. Evigilet è somno mortis Aristoteles, & si vult ut suam Peripatus & in Peripato Orbis capiat Ethicam, FRIDERICOS in explicandarum virtutum assumat exempla. Evanescat Romanum unius virtutis Templum, dum FRIDERICORVM Domus est omnium.

Non statim Aquila Cælestis Fontem involat Luminis, pennigero nisu àëreas permeat Regiones; crystallina lyncis pupilla non statim meridiem intuetur, inprimis Phosphorum & Orientem adorat, quia centena Argus claudit lumina non videt Mercurium; Totam oportet transgrediaris Dodonam, antequam ad arborem, in qua Numen est fatidicum, devenias, tegunt cortinæ Tripodem, multaq; Numinum turba stat ante Iovem. Prothasis hæc in *SERENISSIMO* olim AVGVSTO habet Apodosim. In illum omnia Domûs se concentra-

vere lumina & ſplendoris ſui compendium & meridiem effecere; illi videndo præfulgere debent. Hic Polonus in Corona Iupiter antequam adoretur, Imaginibus Majorum ſuorum panegyricum exigit præſtari cultum, & ut glorioſiùs hæc primò intenta elogiaris præconij concluſio inferatur, ſuorum Anteceſſorum requirit præmiſſas. Dulcis eſt recordatio Antenatorum Auguſtiſſimi Sarmatiæ REGIS ex quibus JOANNES GEORGIVS I. *SERENISSIMI* AVGVSTI PROAVUS prudentium animorum Genius dici poterat. Ille apud Remorum Gnorum Maximos Principes & Dynaſtas Conſeſſus, maturo judiciô decernebat futura, diſcutiebat præſentia. HicCor primumq́;Europæ vivens, à quo conſiliorū vitalis Spiritus in Regnorum diffundebatur Capita. Ille Gallicanus Hercules à cujus ore defluentia prudentium ſenſuum catenulîs devincta Regna pependere. Ille primum Mobile, qui mentis ſuæ impulſu ſingulos Europearum Coronarum ad motus negotiorum rapiebat Orbes. Ille centrum à quo quæcunq́; diductæ fuerint ſaluberrimæ perſvaſionis lineæ integram Europæ attingebant peripheriam. Princeps pacis *SERENISSIMUS* JOANNES GEORGIVS ſecundus Regis noſtri *AVUS*, ſicut bellorum ita affectuum Triumphator, glorioſus in Sago, ſed in Toga glorioſior, qui inter victoriarum laurus floruit, etiam in pacis olea viret immortaliter, ſub cujus

jus umbra post multos ignescentis Gradivi æstus suam fecit requiescere Gentem. Potens hic erat manu utraquè Alexander, qui sicut tumultuantium bellorum occidentem, ita altera diu desideratæ præstolantibus tædijs tranquillitatis tenuit Orientem, pacisquè tractatus fuso sufficienter hostilis Sangvinis inscripsit purpurissô. Adhuc per Mavortia resonat Classica vocalis echo *SERENISSIMI* IOANNIS GEORGII III. quem non casu Gentis Saxonicæ aliorumve Regnorum & sua fortunâ Parentem Rex AVGVSTVS habuit. Prodiga laudum vetustas illos Gylippos numerosis prælîjs claros, Achilinos in strage Gotthorum fortissimos, Lucilios & exercitûs famam & Bruti salutem proprio periculó redimentes voluminum honore dignatur, hic Princeps integros fastos, totosq; meruit Annales, quos magnis implevit rectefactîs, sicut gloriosis campos cædibûs, sinum Bellonæ triumphalibus laureîs, ipsiusq; Martis reconditorium victorîjs. Illi arma geri placuit continuos habitura triumphos, vitam traductô à Gradivo animare Spiritu, dies acie ferri notare, horas rubefacta inimicorum tabô libuit mensurare arená. Ille Rhenum Mænumq; devicit, trophæa per Bystonicas acies, rigidosq; Gelonos circum Pannonios æstus obtinuit. Multum loqui necesse foret si Moguntina aliæq; recenserentur victoriæ, una taceri non potest Viennensis expeditio, in qua

quantum pro defensione Germaniæ simulquè totius Christianitatis gesserit, Romanum Imperium stupuit, Phænix Triumphatorum Polonus Annibal IOANNES III. laudavit, & præscio suæ virtutis futuræq; dignitatis capacitatem dilexit animô, Heluo verò Regnorum & Monstrum, ad terrorem Orbis Acherontico prognatum thorô, superbus nimia fortunâ agnovit Turca, atq; hodie etiam dum sibi rememorat, tremit, qui eò dolorosiorem suæ Lunæ recogitat Eclypsim, quò horribiliorem illius in largo profluvio, quod cruor proprij exercitus fecit, demersionem meditatur, dumq; se in suis quos flamma belli causari sepelit cineribus, satìs mirari nequit, quomodo ijsdem quos turbine mentis acephalæ excitaverat consumptus ignibûs, ex seipso triumphalem GEORGIO Magno Victori accendit rogum. Magna etiam dicendi materies, & principale laudis objectum est *SERENISSIMUS* IOANNES GEORGIVS IV. non impar tanto Patri Filius, & Regis defuncti *FRATER*, qui mira metempsichosî simul cum Nobilissimo Sangvine Generosum Patris transsumpsit Spiritum, à quo sicut non nomine sed numerô nomini adjuncto, ita non virtute & gloriâ, non mente magnanima & corde impavido, sed personâ discrepabat. Ad magna ille destinatus erat, nisi invida ordinem perturbâssent fata. Orituro Solij Poloni Soli AVGVSTO hic præivit Phospho-

rus,

rus, occiditq; ut ille oriretur. Sangvinem tantùm partiri voluit cum AVGVSTO, Successionem honoris & gloriæ illi cessit integram, ut quod ille habuisset, totum haberet AVGVSTVS majorq; fieret se minuto. Tantum est nostri AVGVSTI Genus, quod sub se cum magnis Nominibus species honorum continet, una gloriæ non bene capax contrahi differentiâ. BRVNO Augustanus Pontifex & BONIFACIVS Russiæ ARCHIEPISCOPUS, uterquè OTHONIS affinis sub hoc continetur genere. Bene fecisse Superos, quòd in Familiæ Regis nostri communionem admisere BONIFACIVM, quis dubitet? qui Regalem AVGVSTI Trabeam, non tantùm nativo decoravit, sed etiam Martyrio sacravit Sangvine. Affulget consobrina Serenitate Regi defuncto AVGVSTVS EPISCOPUS Iaurinensis Dux Saxoniæ cujus laudes ipsa hianti ore loquitur Infula quòd fuerit Principatûs Romani assertor, Capitis Ecclesiæ brahium, & vivum morum virtutumq; sistema. In hujus Augustissimi Sangvinis Erythræum Cælestis planè germina Eridani, Imperiorum & sæculorum pretia, jam æternitatis annulo inserti uniones HENRICVS II. Imperator, LVDOVICVS Galliæ, STEPHANVS & EMERICVS Hungariæ Reges; ELIZABETHA Hungariæ, HEDVIGIS Poloniæ Reginæ profluxere. Domus hæc Cæsaribus incunabula dedit, intra cujus Augu-

ſtalia MATHILDIS OTHONIS Imperatoris Mater primam aſpexit lucem. Hæc Synopſis Oratoria, hic numeri Rhetorici Elenchus, tanta Semideorum Nominibûs turgentia ex ampliſſima & pari ſæculis *SERENISSIMI* olim AVGVSTI noſtri Domo prodeuntia Numina à longe veneratur. Lynx enim vel Aquila ingeniô ut ſit neceſſe, qui tanta Nomina ſecuriùs audeat ſpeculari. Par Domus hæc aſtrigero ſi dicatur Olympo non Hyperbole eſt, quæ Regnorum Ioves, Gradivos Camporum, Monarchiarum, Areopagis & Senatibus Mercurios, toti Orbi ſerenando, poſteritati illuſtrandæ, nullis umbrîs extingvendos prodit Soles. Tomîs non paginîs, ipſiusq; famæ ſupra quodvis dicendi genus elevatis opus eſt pennîs pro calamis, totos eloquentiæ neceſſe eſt exundare fontes, ut vel primam Domus AVGVSTANÆ condigno elogiô liceat venerari frontem. Ex tantis metire AVGVSTVM qui potes & Auguſtiſſimis paré dicito.

Tam longus non in verbis, periodis, vel paginis, ſed in ſe ipſo, per tot Prædeceſſores *SERENISSIMI* olim AVGVSTI ad ipſius eminentiam ſæculorum proceſſus, ſuum habet terminum, iterum à ſubſecuturis vel continuandum vel reaſſumendum ſæculis, in ipſo quem deploramus Rege, quæ ut commodiùs hanc totam ampliſſimæ Familiæ, Heroicarum virtutum, ſtupendorum operum ſeriem nulla obliterandam

literandam oblivione in sua retineant memoria, illam in compendium redigunt dum AVGVSTVM loquuntur. Vniversalis horum gloriosorum Nominum idea *SERENISSIMUS* AVGVSTVS est, hanc unam dum laborioso studiô suæ memoriæ imprimunt sæcula, singulas elogiorum species quas rememorant, recordabuntur perenniter, amittent nunquã. Ille Rex erat omnium suæ Domûs decorum summa, ampliatæ gloriæ complemẽtum, & Synoptica dictorum dicendorumvè collectio. Ille tam immensæ lucis aux trabeata, Ille signum tanti radiatum Poli, Ille immortalis gloriæ Axis inocciduus. Quidquid anteacta, ad famæ tripudium, ad exemplar Heroum, ad Regnorum delicium, ad stuporem Orbis protulere sæcula, id totum recens sæculum dicit, dum AVGVSTVM dicit. Exercere se natura debuit prolixo industriæ conflictata tyrociniô, ut per tot Majorum productiones Illum exactissimum Orbi sisteret exemplar, seq; tota miraretur in opere, quod produxit. In alijs certo tantùm vitæ interûallô vel virtutum vel gloriæ prominent indicia, in AVGVSTO tota vitâ; alijs nasci tantùm magnos contingit non esse, primusq; ortus sæpius illam Serenitatem mentitur, quæ speratur in meridie; alijs frequenter serus modoprimum vehit vesper quod non dedit diluculum, AVGVSTVS semper suo correspondens Nomini, eadem quibus in primo

vitæ puncto dedit occasionem prospero & non inglorio eventu coronavit vota, illasq; quas secum attulit spes, non irrito explevit successu. Majus erat qui optatos dedit AVGVSTO Natales semperq; majus aliquid ominari jussit ex Principe tanto. Dum tempus amænius viridantes florum gemmulas plenis explicabat calathîs, hoc in Murice & ad Muricem nascitur millefolium. Hic coronarius prodit Amaranthus, qui expers marcescere, etiam Stygij fluminis perfusus lymphâ revirescit. Hoc magnum Gentis Saxonicæ lumen, tunc faustum sui ortûs habet auspicium, dum sol minores incipit proijcere umbras, nihil commune cum tenebris habiturum. Vix natus AVGVSTVS, jam perennitati datus crevit celsior annîs, par ævo, in ipsa vitæ aurora Sole ad geminos vergente *Serenissimus*, illustriorem se Alcide monstravit, nam ille nascens geminasse dicitur noctem, hic longos Europeæ felicitatis incepit geminare dies. Vix in lucis publicæ oculos prodijt, jam Illum non Servij Tullij radij, sed erūpentes ex animo nobiles flammæ coronarunt. Tunc simul Cælum & AVGVSTANÆ & Polonæ fortunæ adstipulabatur Natalibus, quæ sicut eodem partu nascebatur, ita in ijsdem cum AVGVSTO recubuit Cunis. Inanem fabularum texturam & speciosos veritatis floccos convolventi antiquitati permittimus, quæ in ortu Palladis Jovem aureo depluisse imbre somniavit, verior

emphasis

emphasis perennitate dignum in Natalitijs AVGVSTI tanquam sæculorum felicitatis potuerat pandere omen, à primo vitæ Ejus puncto aurea Orbi Europeo tempora incepisse. Non sibi Ille, sed publicæ gloriæ, sed expectationi Regnorum, memoriæ sæculorum natus, in ipso Oriente Phæbus integer, primam vitæ suæ auroram, temporum sphærá majorem ostendit, & vota primo de se comprobanda augurió magnitudinis præcocitate præveniens, tædiosa expectationum desideria non vana spe futuræ famæ priùs implevit, quàm adolesceret. Persvasum ego mihi habuerim non unum ex Dijs, optasse sibi hanc AVGVSTI corporis ædem, invidisse verò descendenti in illam ab astris animæ, dixerim elegisse potiùs abrenuntiato Divinitatis tituló cultè venustatis illius membrorum circumdari compagibûs, quàm supernis residere in Triclinijs; perbelle tamen rerum Parentem fecisse naturam non diffiteor, dum Illi ad maxima quævis nasciturо, æqualem Orbi, expediendis rectefactorum prodigijs aptum, demissum desuper indidit animum. Si non cuivis licet adire Corynthum, paucioribus per Coronas & Sceptra reptare, & Principe vestigio viam lineamq; Familiæ signare est concessum; AVGVSTVS ita extulit Caput, ut statim coronatum haberet. Nempè statim in Purpura nascitur, quæ floribus imperabit rosa; prima fascia innodatum latentis naturæ

involvit arcanum. Iam nutibûs in cunis monstrat Scipio qualis in Africa erit: jam in pannis puerilibus rugat supercilium contra Romam Annibal. Monstrat infantia Herculem, & quantus sit in Lernea hydra Domitor, in incunabulis præludit serpentibus. Nescivit Lucina AVGVSTVM alijs involvere cestis nisi Purpuris, nisi Regnorum tænijs. Illum Dominio, cunæ, Regumq; fascibus primæ fasciæ destinarunt, cum crepundijs coronas rapuit, vagitu vocavit ad se Imperia. Ad futuri sublimitatem Fastigij jam calculum habuit, non ab aliena Eminentia sed à sua. Per venas pretiosi Sangvinis totus in eum defluxit valor, & fecit dignum Sceptrîs clenodium. In prima vitæ aurora *SERENISSIMVS*, in ætate pusilla *AVGVSTISSIMVS*, in teneris annis *POTENTISSIMVS* aparuit, & florem juventæ, fructu gloriæ antevertit. Passus tenelli jam magnitudinis ejus fuere vestigia, & Pusionem seipso monstrabât Majorem. Scivit quòd primæ Martis leges Saxonicis patuere viris per quos feroces Rhæti & Marcommanni domiti fuerunt; his legibus subesse voluit. Nondum pede certo signabat humum jam Hæmum conscendere, jam castra metiri credebatur, pubertatemq; suam ubertatem fecerat laurearum. Cataphracto Bellonæ oblectatus gremió ex eadem mamilla lac suxit ac fortitudinem, catapultas belli crepundia habuit, fulgetra lusus. Priùs cerea Iuventutis illius prætexta

in quævis

in quævis diffluxit optima, antequam in publicum prodiret Solem: si Cerea dici possit, quam traducta è Majoribus fortitudo, rarior pubemq; superans ætatem constantia solidavit. Inter bracteata Domûs Augustæ conclavia semper vivam rectefactorum Historiam, animatum rectefaciendorum exemplar *Serenissimum* habuit Parentem. Ex Persona Ipsius ideam sibi Martis formabat, ex fronte Majestatem, ex oculis gravitatem, ex vultu temperatam benignitate severitatem, ex incessu gloriæ vestigium, ex gestu heroicum motum desumebat, seq; in Parente vidit, & Parentem expressit in se. Iam fronti diademata imminebant, lacertis jam se insinuabant dibaphæ, jam vis innata gressus ad Thronos & Solia erigebat, tenellamq; dexteram præsagis magnarum laudum adoreis sed simul victricibus laureis, & omne memorandis per ævum triumphis aptare jussit. Tunc hic magnus Philippides dum sic cum annis maturesceret, domesticis laribûs Augustior factus, alium sibi intendit quærere Orbem, quem Saxonica capere non potuit Macedonia. Priùs se Regnis videndum exhibuit, quib9 vel timendus vel venerandus erat, & dum exteros lustravit Soles, illustravit. Noverat quòd magnificentiùs emicavit in Colchide Iason, quàm inter domesticos Thessaliæ suæ parietes, nec Solem continuus per Cælum infamat cursus. Hercules per omnes erravit plagas quia Hercules; pu-

milionibus solúm vicinus paries mundi limes putatur. Ad Gallicana imprimis secessit lilia Flos Regum futurus, & seipso Lutetiam auream fecit. Hispaniam, Portugaliam, Italiam, Sabaudiam, ac Austriam invisit, omnesq; qui virtutem sapuere peregrinos mores sibi ostendit esse inquilinos. Ibi Maximis parem & Majoribûs majorem se exteris præsentavit, & dum relicta Antenatorum suorum mentis oculô respexit vestigia, suæ virtutis grandem eis addidit decempedam, ut augeret: non expers, quòd lentescat cursus, cùm juventus malè decoqvitur, nec ad gloriæ metam facile pertinget senex, qui non cæpit urgere gradum adolescens. Noluit solo Sangvine sed etiam virtute niti, sibi ipsi pèrsvasit facta Majorum colenda esse non Imagines. Illi mens non mollis Eurysthei sed laboriosi Herculis, non otiô diffluentis Vatiæ Servilij, sed perennaturis intenti operibus Scipionis, exteris stuporem & non vana æternæ gloriæ præbuit omina. Dubiam fortunæ aleam sibi certam fecit, & paribus Patrem ausibûs æquans in Martiali arena primos suæ famæ cæpit formare characteres nullo delendos ævo. Illi nitrati pulveres in theatro sangvinario sparsi immortalem sæculorum memoriæ paravere clepsydram, qui sui Nominis altitudinem æternitatem attingentibûs crescere fecit actionibûs. In Belgio & Anglia pro hospite simul & Marte adoratus, cassidem Diademati,

Sagum Paludamento, Sceptro præmisit gladium, & mereri voluit quos erat habiturus honores. Ibi bina Gentilitij ferri acie totam tutatus aciem, adversùs adversos primum semper extorsit telum, & hosticum in hostimentum convertit. Robur ejus rubor inimicorum erat, quô pressi, proprio cruore rubescentes & erubescentes prætulere genas. Non novum illi erat castra in carceres, vincula in serta commutare, qui se luctanti triumpho amatum fecit dum armatum. Tunc bellorum rudimenta victorias habuit, sub quo Mars etiam tyronem egit, stipendiariam fortuna. Non sub tapete belluato conchyliatove sipario (more illorum qui acui non arcui nati, muliebri fuso magìs, quàm viriliter fundendo aptiores hosti, corde inter olorum lanugine prægnantia culcitra sepulto, famæ mortui:) lenocinantibus vacabat blandimentis, sed non semel Edonas hyemes & tardi flabra Bootæ fortiter sub nive Rhiphea tulit, ipsos algores accendendo sibi in victorias. De indole magnorum Domûs suæ Hectorum tantum solus quantum olim Achilles de Græcorum fortitudine traxit, in quo virtus experta est quid in uno collecta pectore valeret: dum à *SERENISSIMA REPUBLICA VENETA* in Supremum exercitûs Ducem contra nefandam Turcarum potentiam invitatur. Tunc totus Gradivum spirans Ipse solus generositate plenus Castra fecit, & sic contra lunatos

 pugnavit

pugnavit hostes, acsi umbras hostium impugnaret, ejusdemq; aleæ labor belli illi fuerat in campo acsi in tabula delere hos furentes Paropamisadas. Ille unus Achilles pro hac Græcia, unus Hector pro hoc sufficiebat Ilio, & pro omnibus in acie pugnabat, dum pro omnibus in Consilio bellico sapiebat. Ubicunq; pedem fixit, ibi & trophæum, quidquid calcavit palma fuit. Non priùs Illi defecit manus, quàm Orientalia monstra, repetitos non unius Cadmi fatigatura ictus, conficeret, conopeaq; ferocientium harpyarum faceret catabula. Heroa mente catervatas fescennino etiam astu, dubiam Martis eludentes aleam turmas ac si proletarias turbas vix vidit jam vicit & Orbē triumphale jussit occinere celeusma:

Cæteris anceps Tibi certa ramos
Inclinat laurus, facilemq; pugnæ
Spondet eventum levis ominati
Alea belli.

Adhuc bellatrix AVGVSTI manꝰ recenti Marte calet, memoresq; laudum urunt triumphi, & iterum in athleticam evocatur. Ex attrito per hunc Herculem tumido hydræ Othomanicæ Capite, pullulavit alterum & extendit se in Hungariam, ad quod edomandum *INVICTISSIMUS* LEOPOLDVS Cæsar ferro & igne Martiali potentem vocavit AVGVSTVM & suæ militiæ fecit Generalissimum. Suscepit intrepidus irritandas iterum tanto molimine,

ne fortunæ vices, nullam mereri autumans, si una sufficeret adorea, terruitq; hostem nomine, antequam pugnâ. Ita actuosus hujus Hectoris animus non gesta respexit sed gerenda, & cùm alibi Acheloum se monstravit, hic stetit Lisymachus. Hic imperterritus Sarpedon Orientales non horruit monomachias, qui experimentô docuit Odrysiam posse trepidare Lunam. Vocali famæ dignus tubâ, qui hostiles fecit mutas & in perennem sæculorum memoriam monumentô major æneo, qui inter æs & ferrum versatus utroq; solidior fuit, quem dum Bizantini Mimantes vitæ prodigum viderunt, prodigium censuere. Fortunatus profectò Actæon, qui absq; dispendio vitæ, licèt in periculis Turcicam ex quo vidit Hecaten vicit & cæpit, nec priùs pugnandi avidum composuit animum, quâm Ajaces, Archidamos & plura Musulmannæ Trojæ nomina impleret funeribûs. Superavit suo vincendi genere Persica ALEXANDRI Marthonia Cæsaris, Cymbrica Marij, & Actiaca etiam AVGVSTI trophæa Victor AVGVSTVS, & se Heroum Fortissimum, Castrorum Gloriam, Robur militiæ, Ducum normam, legem Campi demonstravit, cujus pectus lorica quidem sed firmiùs imperterrita munivit virtus. Post victricium laurearum Corymbos Coronis eum destinaturi Superi, inquilinum Domui Ejus honorem magnis adjunxere me-

ritis. Nempè *Augustissimus* LEOPOLDVS magnus dexteritatis AVGVSTI æstimator, quia & ex Sangvine Nobilissimo, & ex tabo hostili, quem grandi effuderat nece, Principem coluit, Electorem Sacri Romani Imperij promulgavit. Sic dura experimenta magnæ fortunæ præludia esse patuit Orbi in AVGVSTO, cujus conflictus & pugnæ, triumphi & Manubiæ, colossi & septizonia excessere moles Ægyptias, Argolicas, & Romanas, eoq́; pervenere, quò nonnisi maximis licet. Nempe sic allaborante suæ famæ AVGVSTO, erat in Majestate Polona Majestas triumphorum, Sarmaticæ gloriæ Thronus, Victorum Phænix, Bizantij terror, cui Gentilitij tessera stemmatis Clypeus erat defensi cælatus imagine mundi, *SERENISSIMUS* olim IOANNES III. REX Poloniæ, pro quo, ut parem habeant, diu millenæ temporum trieterides & Regum Trabeæ laborabunt, qui per profusarum, non tantùm à Sarmatia, sed à tot Regnis lachrymarum Propontidem æternitatis Isthmum attigit. Ille tunc instantibus fatîs (quæ etiam precabantur ut aut nunquam natus, aut nunquam mortuus fuisset) Sceptrum & Coronam abdicavit. Tunc inter malleum & incudem posita Polonia fuerat, versa est sæpiùs Regni Sarmatiæ ceu rotarum vertigo fortuna, fuimusq́; Troes & Pergama nostra jam arserant, fuerunt tunc Camilli contra Se-

nones, & contra Tarquinios Bruti, omniumq; malorum remedium erat habere Regem. Interea nondum visus AVGVSTVS sola magni Nominis famâ ad destitutum suo Regnatore Thronum desiderari cæpit à Polonis, qui etiam dum aberât præsens colebatur, cujus utpote præsentia cùm uno circumscriberetur loco, virtus tamen replebat multa; quæ se ita extulit, ut ad Coronam assurgeret, & digna terrarum fascibûs, Orbem Polonum in præmia depoposcit. Nec irrito eventu hæc Polonorum impleta desideria, dum prosperantibus Superîs inter tot luctitantes contra Sarmatiam malevolæ fortunæ vicissitudines, Regij honoris Augustale, hic *Septemtrionalis Macedo*, *Saxonicus Annibal*, tandem *Polonus Alcides* introivit AVGVSTVS. Tunc videre erat sæculorum partum Principem non ludicro sortis arbitriô, ast libera natorum ad Sceptra Coronasq; Procerum voce, tot Regum quot Polonorum Regem fieri. Nascantur alij ad solia, AVGVSTVS *SERENISSIMUS* & natus & electus erat, quem probitas regnare fecit, pro quo hoc Imperium virtus legata poposcit. Duodecem ab initio Poloniæ sæcula solennibus non vulgaribus votîs laborarunt, ut illum Poloniæ Regem, pretiosissimum Cæli donum Cælitùs extorquerent, suamq; de illo haberent memoriam. Ex illius magnanimitatis fulgore certius futuræ felicitatis omen Poloni quàm olim Romani ex Solis

Circulo ſuper Caput Octavij Vrbem intrantis colligebant. Fundebant tunc certatim vota, quibûs non diſcernebatur quid pro ſe voverent quid pro illo, nec Ille pro ſe permittebat optari aliquid niſi quod expediret optantibus, nec illorum aliud omnium aliud ſingulorum votum erat quàm vita Regis. Illum videre erat Iovem in Throno Polono ſed nòn Tonantem, qui per clementiæ vigorem ſæpiùs damnandi temperabat rigorem, apud quem nihil magìs felicius ac Regium erat, quàm fundata in ratione clementia. Novit quòd Principe magnanimo minor eſt injuria ǘuævis, novit illud monitum cujus memor erat, vires non experiare nocendo, qui Princeps vis eſſe diu, unde *Polonum Coriolanum* agens neminem injurîjs, quemlibet oppugnabat beneficîjs. Scivit quã ſit inhumanum iraſci, ideò non ſenſit, nec fecit injurias: ſcivit quàm ſit immane ulciſci, ideo non reddidit, nec recepit vindictas. Apud alios non lucem tantùm, ſed & ignem habet Purpura, urit potenter dum tangitur, apud Illum non tantum venuſtatis habuit Trabea, quantum candoris clementia. Hic *Mitiſsimus TIBERIUS* etiam Sejanos benignè tractavit, propterea magìs Pater amandus charitate, quàm Dominus extimeſcendus ſeveritate meruit apellari, qui tunc ſe putabatur beneficium accepiſſe cùm rogaretur ignoſcere, utpotè deterrere à malo non autem deterere, & affectu ad

ſe flecte-

ſe flectere malens quàm plectere ſontes. Munimentum Regni, virtutum Fortalitium, Arcem gloriæ, perfectionis Fulcrum, totiuſque boni firmamentum poſuit fortitudinem, quâ Liberorum Civium amori prodeſſet, hoſtium verò timori præeſſet. Ne ex ſua incuria aliqua ſaluti publicæ fieret injuria vigilãtiſſimum agens Euthyadem, hoc faciebat, quòd publica ſvadebant commoda, quod miſeranda rogabant diſcrimina vulgi. Mavortijs laboribus qui Ei jam in naturam abierunt, in Regni tutamen uſus pacem firmavit, pugnare deſijt ſed vincere non ceſſavit, ferrum abſcondit in vaginam aurea ſæcula redditurus, docuit poſteritatem pompoſiùs Coronam inter oleas, quàm inter permixtas taxis laureas eminère, & aureum Polonæ libertatis vellus ſervari poſſe quamvis non Marti dicatum. Ejus Auguſto Imperiô ſalvum vivere cuilibet licebat, natum eſſe neminem pænitebat. Tantum geſſerat bellô quantum ante ipſum vix aliquis, tantum pace quantum pauci, tantum utroq; quantum omnes ſatis mirari non poſſint. Nemo ſecurè decrevit, an eum hoſtes timuerint, an Cives amaverint, an laurum ornaverit an decoraverit oleam glorioſior. Inter cætera fuit ille, quem ſuprema voluntas propter opulentioris fortunæ abundantiam cùm in liberalitatis èxercitium elegerit, Cæli theſaurarium fecit. Cum primo ſuo in Poloniam ingreſſu Regi-

am induxit munificentiam, non Attolicas manubias cum Fulvio, ſed innocuas opes nullo profano fænore, nulloq; cenſu iniquo pallentes; ne compedes Plutonis aut injuriæ pignora vocarentur, in publicum boni commodum, in juvamen indigentium, in honorem DEI expendit. Hanc virtutem in perſolutis exercitui Polono ſtipendijs perennanti impreſſit memoriæ, in dicato Thaumaturgæ *Claromontanæ* VIRGINI appendit anathemate, in tot Eccleſijs, Sacris Clauſtris præſtitis beneficijs memorandam reliquit. Per illum ſplendor Religioni eſt redditus, quam in zeloſo per Principatum ſuum augmento clarere fecit, ſacrumq; accendit lychnum, quem hoſtis religionis extinxerat, & ſub illo coronato Principe iterum Fides eſt inaugurata Regina. Principale Illi negotium fuerat Cultûs Divini vel incrementum vel renovatio; & cùm per fæderatam pacem, Libero, cui præerat Regno, multos feciſſet amicos, hoc adhuc in votis habebat, ut nullus DEI inimicus eſſet, ad quem etiam umbra ſui Regalis extendebatur Sceptri. Et ſi aliquando rebelles Cælis animæ hæc facienda cogitârunt vel cogitata fecerunt, quibûs vel Majeſtas Divina, vel Eccleſiæ authoritas, vel integritas Fidei, vel unitas Religionis læderetur; tunc iraſci neſcius, diſcebat, ulciſci expers REX, moliebatur vindictam, quando alibi juſtas minitâtem cædes Themidem

leniebat,

leniebat, hìc ſemper urgebat Nemeſim, ut ſcelus injuriatæ Fidei vel expiaretur igne, vel eraderetur ferrô, vel elueretur ſangvine. Expertus eſt vindicem REGIS *SERENISSIMI* pro Fide zelum tumidus ſectæ Thoronenſis auſus, quem cùm ſubitò tollere de integro non poſſet ut ſaltem inſigniter minueret, Sectarios capitibûs minui mandavit, ut invalidiorem redderet, manus Sacrilegis amputari juſſit, ut interimeret, contra Hæreticos mortis decretum protulit, & dum ſe juſtum eſſe nunquam non meminit, hìc etiam ſeverum Illum fieri non pænituit. Integram hoc in puncto deberet calamus exarare panegyrim, hæ tamen paginæ tanti Heroici & digni *REGE AUGUSTISSIMO* actûs incapaces, quem ampliſſimi jam complectuntur Annales, in quibus quoties ſcelus Thoronenſe rememorabitur, toties Regalis per AVGVSTVM ejuſdem vindicta, toties Zelotes Fidei AVGVSTVS *MAGNUS REX POLONIÆ* redibit in memoriam ſæculorum. Ad hæc Rege digna facinora, ut compendium probitatis vocaretur, juſtus erat, qui DEO ex debito, Sarmatiæ ex amore, cunctis ex benevolentia quod potuit fecit. Porro ut laconicè loquantur ſæcula AVGVSTVM, compendia memorandorum exprimunt in AVGVSTO. Erat ille boni communis curâ Pelopidas, juſtitiâ Themiſtocles, clementiâ Agaſicles, Civium amore Theodoſius, vigilantiâ

Antigonus, continua, ſolicitudine Julianus, averſione periculorum Iphicrates, præmeditatis conſilijs Alphonſus, legum conſervatione Ageſilaus, benevolentiâ Octavius, beneficentiâ Tiberius, pietate Pompilius. Erat novus Poloniæ Fabius in arduis, Pompeius in adverſis Æmilius in graviſſimis Regni negotijs. Et dum hæc loquentia ſæcula, intensè recordari ſtudent quantus fuerit AVGVSTVS, tumultuanti fatorum perterrita impetu tacent, & nutu langvido famæ innuunt, ut quæ fient annotet, ſuæq; tradat memoriæ. Lachrymarum Oceanô (notat fama) Sol tunc erat Exoriens, lux omnibus tenebrîs ſquallidior, & vel Ægyptiaco fatô infamis hora, quâ contigit AVGVSTVM è vivis exceſſiſſe, ita tamen exceſſit, ut Reges decet, nempe factîs immortalibus etiam poſt fata ſuperſtes. Diminutus ſuis diebûs tunc Menſis erat, ſed decrementum dierum ſartum eſt incrementô gloriæ AVGVSTANÆ. Iam non Neptunus, cujus tutelæ hunc menſem reddidit antiquitas, ſed terribilis Stygio ſquallore Charon Polono Iovi naufragium fecit, ex his tamen fluctibus enatavit ad ſolida gloriæ immortalis. Hoc menſe Cæſar primò incepit appellari, hoc Menſe REX Noſter, cùm magnam efflavit animam, in æternitate cæpit eſſe AVGVSTVS & agnoſci Patriæ Pater, magisq; inchoavit æſtimari, dum ab oculis abſuit. Occidere debuit ut

it ut mortalis, excidere ex mortalium mente non poteſt, ut immortalitate rectefactorum perennans. Compendia tot ſæculorum in ſe collegit, daturus ſummæ Virtutis & gloriæ exemplar, quod tota myriadibûs etiam trieridum emetienda poſteritas non exhauriat. Perennitati Ejus ſtantibus Generalibus Comitijs bene conſuluerunt Superi, ut quò magis impracticato exemplo & tempore invida AVGVSTVM invaſere fata, eò magis æternaturæ de illo memoriæ profuiſſent, qui etiam in fatorum umbra per ſplendorem duraturarum omne per ævum actionum Sereniſſimus. Ab alijs merita & Dignitas, ab illo etiam fata coronantur, ut ſint Regia, eôq; ipſo memoranda. Vivere deſijt non laudari, tempori non poſteritati deceſſit, abijt non obijt, nec perēnaturam cum vita terminavit gloriam; ſicut enim Dij extra mortem, ita magni Viri ſupra mortem ſunt. Hæc, fama notans, tubam trementi inflavit Spiritu, hasq; inſonuit voces: Plora Tuum Sarmatia Regem, liberum Regnum Tuum plange Patrem, defle Senatus Trajanum dolete Cives Veſpaſianum, luge Religio Numam. Tu vero Studiorum Mater Cratia Vniverſitas, ſuper Tuum fatis ſuccumbentem lachrymare Protectorem. Ab hinc ſtatim tota Polonia in ſyrmate, Senatus in pullata Toga, Cives in lachrymis, Academus totus in umbris apparuit. Comparet & hodie perſo-

natus Regni totius dolor Auguſtisq; *SERENISSIMI* ſui REGIS aſſiſtit Parentalibus & ſe per mærorem Procerum & Dynaſtarum explicat.

Adeſt in funereum obſequium Protectori ſuo Filia Materq; Regum Vniverſitas, & jure obligatorio, legum Vindicem, immunitatum ſuarum Tutorem etiam in Sarcophago veneratur AVGVSTVM, ſub Sceptrigera Cruce ſtat doloroſa, dum hunc Chriſtum Domini mortuum videt. Multum illi debet Pallas Cracia, ad cujus olim accedens Majeſtatem, Princeps in Regno approbata, Protectrice Regalis Purpuræ ſe veſtivit lacinia. Tunc maximè liberæ ſunt viſæ literæ, cùm à Rege Liberæ Gentis affectu captatæ fuerunt. Quàm amænæ olim fuerunt Iagellonicæ Camænæ, dum ſe inviſentem & Vielicienſi dotantem benefició coluere AVGVSTVM, & quàm feſtivá cecinere acroamata, tam atrociori dolore, plena Amyſtide propinatos ſibi a fatis hauriunt ſingultus, dum ad mortuale ſui Regis oſſuarium Præficas agunt, & lugubres intonant leſſos. Occidit Regni Sarmatici delicium, noſtri verò Literarij columen, populorum voluptas, Saxonicæ Gentis gloria, labentium rerum fulcimentum, Chriſtiani Orbis ſolatium, Eccleſiæ deſiderium, humaniorum omnium affectuum Cynoſura occidit. Quærimur modò quo ſuperſtite quæri contra

fortunam

fortunam non licebat, hilaria noſtra olim traducebamus ephemeridibûs, nunc triſtitiam metimur ſæculîs, tanta enim gaudia in tantum luctum deſinere debuerunt. Damus lachrymas defuncto Regi, in aquis enim gemmæ quieſcunt placidiùs, condimus cineres, quibus ſuos quoq; fortuna affunderet fletus, niſi exoculata eſſet, ſuos æternitas ſi ſibi eſſet invida; quem Cælô nobis demiſſum habuimus, Cælo reddimus. Non gemimus illum immortalem Spiritum à nobis translatum, virtutibûs tanquam pennîs ſubvectum in ipſum Cæli domicilium evolaſſe, ſed gemimus evanuiſſe, nobis cum illo moderationis exemplar, ſedem prudentiæ, arcem conſtantiæ, humanitatis penu, manſvetudinis Sacrarium, & uno verbo probitatis theſaurum. Non dolemus quòd mortales fama & Spiritu prætergreſſus terras, optimus Principum, maximus Dynaſtarum, fortunatiſſimus Regum & humanæ admirationis terminus AVGVSTVS noſter; hoc dolemus, quòd ſit nobis ereptus. Ream hoc in puncto tenemus mortem, vos Superi agite, luet ſatis, ſi quem ſæva rapuit, juſſeritis eſſe feliciter immortalem. Temperamur tantiſper à lachrymis, dum poſt arctatū rectefactîs & gloriæ amplitudine Orbem Polonum, auguſtiorem aſtrorum ſphæram magnæ AVGVSTI ceſſiſſe animæ credimus, quò enim, cùm Sarmatiam cumulaſſet perenniter memorandis faci-

noribûs ultro progressa fuisset Regis nostri fama, nisi æthereas merito Spiritu repetendo oras, Regiam in Sacrato summi Numinis Augustali animam reponeret. Tunc potissimùm AVGVSTVS, ipsum novi honoris splendore accendit Cælum, cùm videtur in terris extinctus esse, cujus memoria non temporis finita sed æternitatis intervallô definita perennat, utpote his adaucta insignitaq; factîs quæ immortalitatis erant non ætatis. Nos tam diu interno gemitûs & dilectionis honore Illi parentabimus, quousq; nunquam emoritura Ejus merita, non unius ævi, verùm omnis sæculi memoriam perennantem merebuntur.



Regestr Panegiry pogrzebowych

V

1 Vivat Æternum impressum
2 Viva Flors seu Morti superstes

